



LECTORI
CATHOLICO ET
ORTHODOXO.

Is i in ijs, quæ serò ac tardè moluntur homines, inclitum interdum aliquid, & cuius perennaret fructus diuturnior, existeret, rectè horam duodecimam olim vitio datam non nullis, obijci mihi posse dices. Enim uero M. Crassum legimus cum Regem Deiotarum senecta grauem cerneret, urbem nouam condere, non sine cauillo reprehendisse, quod hora duodecima demum, id est, in extrema ætatis linea, ædificare inciperet. Egoverò sub extremum Operis huius ad calcem decurrentis Lectorem meum salutare rogatus, cum sciens essem, non solum in rerum natura, sed in omni cœlo terrarumque solo, nihil esse homine præstabilius, ac diuinius, serò me hoc quidquid est scriptoris elaborare & moliri, non existimabam; qui, ciuitates licet nouas non conderem, collapsas tamē instaurare, aut vacillantes & senio lassas sustentare, vel erigere, pro virili meo, admiterer. Nam, ut, qui legibus consociatos homines, eiusdem communitate iuris deuinciunt, ciuitatem quandam consti-

) (z tuunt;

AD L E C T O R E M.

tuunt; sic, qui ab imperiis iustis & potestatibus voluntates eorum seiungunt, eandem conuellere, & labefactare; quin ex hominibus feras efficere, certum est.

Multas magnasque mercedes, aiebat quidam, laturos Philosophos, si, quemadmodum Circe herbis & cantibus suis homines ilico in feras conuertebat, ita ipsi disciplinarum vi, præceptorumque sententia, ex feris homines facerent. Quæ muneris conditio, quam in arduo posita sit, tum totius humanae vitæ scena docet, tum religionum nuper exorta varietas tanta, hominumque de fide dissensio, tum in omni ordine graduque implicata dulcedo voluptatis & quædam vitiorum scabies: quæ genus hoc nostrum, diuino licet auctum animorum munere, non solum deprauat, sed longè sæpè multum abijcit infra belluas. Aristippum facto naufragio, narrant, cum Geometrica schemata fortè in littore descripta videret, exclamasse, hominum se vestigia cernere; sed vestigia tantum: et si in magni Cathai Regno iam audimus etiam Dei immortalis beneficio à puluere & radio veros homines excitari, qui pareant huic, quam supremus legislator tulit, cœlesti descriptioni; mentique diuinæ & præpotenti Deo se suaque subijciant. Cæterum, inter alias orbis nostri ferales ruinas dum Magnæ Germaniæ busta, & infames naufragorum scopulos mente circumlusto, & temporum præteriorum memoriam replico, sanc acerba illa recordatio animi ægritudinem,

AD LECTOREM.

tudinem, & molestiam renouare solet, cum nouarum opinionum & pestiferarum clade non casus tantum magnos, & orbitates hominum importatas, sed sanctorum Virorum, quique de repub. Christiana præclarè meruerunt ita iacere afflita vidi vestigia, ut nemo istic ea non tollere solum dignaretur, sed omnes certatim obrutum ire, & confundere cernerem, impudenter. Quo quidem tam perniciose sectæ studio, quid aliud huius disciplinæ Magistri adipisci concupierunt, quam , vt suppressis sanctorum virorum actionibus & vitæ præclarioris institutis, impunè non solum, quæ conceperant vitia, sed nouæ religionis exempla in Ecclesiæ insunderent. Quo lubentius certè opera à nobis data est, vt optimorum virorum , qui cum vitæ flore Germaniam olim à teneris adolescentem, & religionis Christianæ primis vix imbutam elementis, ad virtutis maturitatem perduxerunt, acta præclara, homines nostrates in manus sumerent, memoriaque repeterent, qua disciplina vitæque præceptis, nationem hanc imbuerint, qua morum luce, & religionis splendore collustrarint, vt vtriusque insigne quasi relinqueret patrimonium dignitatis. Et enim , qui penitus eos introspexerit, sentiet in ijs vtique omnia mortalibus augustiora, & quiddam in ijs intuebitur diuinum; quo huius sæculi Nouatores cum se totos, omniaque sua pertentariint, & perspexerint, intelligent peruenire se non posse. Quippe quo propius à corporis obsequio indulgen-

A D L E C T O R E M.

tiaq; discedunt, & religionis maiora dedecora quotidie suscipiunt; hoc minus consulta factaq; sapientissimorum hominum assequentur. Iam vero, si eorum memoriæ petulanter illudent; si ferociter in eos insultabunt, annon se longissimè tunc & depravatione consuetudinis, & opinionum vanitate, non tantum à bonorum societate & agnatione, qua teneri nolunt, sed ab hominum inter ipsos coniunctione remouebunt? Iactent suos ipsi quantum volunt Reineccios, Goldastos, Fabricios, & ut in maiores pij videri volunt albentia vndique ossa & librorum cadas uera legant & sublegant felices; meus ita certè sensus hic erit,

*Denique ut in fabrica, si prava est regula prima
Omnia mendosè fieri atq; obstipa necessum est.*

Ac ne vagetur sermo longius, definietur ille cōmemoratione virorum illorum, quos consequentes inde paginæ dabunt. Eos si nuncupatione ferè singulos propriâ, dedicaui, id Lector velim cupiditatib; vel ambitioni non adscribas, si quidem, quod profiteri sæpius volo, amplissimis huius nostræ Prouinciarum Magnatum, ac Principum, Ordinibus; & si nequam parem illorum amplitudini, ac meritis, at pro nostro tamen tenui studio meritam gratiam, debiramque referre conati sumus. Vale, Treuiris

M. DC. XVI. ipsa luce Diuo

Gregorio magno
sacra.

VITA